



FORTVNAE
HALLENSIVM
EX
FRIDERICIANA.

Cum fasces Academiae,

annua commutatione,
de manibus suis deponeret,

dixit

PRORECTOR,
ordine duodecimus,

IOH. PETR. S^Eudeswig / Jct.
CICCCVI.

HALAE

Typis CHRISTOPH. ANDREAE ZEITLERI, Acad. Typogr.

Ng 3019 f



Ng 3019 f

1945 K 121

VIRO ILLVSTRI,
DOMINO
**CHRISTIANO FRIDE-
RICO KRAVTIO,**
S. REGIAE MAIESTATIS CONSILIARIO INTIMO
CAMERAE SECRETIORIS, CETERA,
DE
MVSIS HALENSIBVS, PATRIA SVA OPTI-
ME MERITO,
SACRA SIT,
**QVAE DE COMMODIS FRIDERICIANAE IN VRBEM
AGIT, ORATIO.**




Vod in hac oratione argumentum
tractau, ad id iusto quodam do-
lore, quem ex corruptis quorun-
dam hominum iudiciis accepi,
sum excitatus. Fridericana in li-
terato orbe principio statim in-
gentes successus habuit, qui tan-
tum abest, ut postea, quod hostes nobis uicini di-
uinarunt, decreuerint, ut potius noua singulis annis,
Deo largitore, sumpserint incrementa. Me consule
nouorum adueniarum numerus omnium calculos ui-
cit, qui ante me magistratum gesserant. Facile ad
intelligendum est, quem amorem, fiduciamque ex-
citet Friderico conditori, quod nullum fere Europae
siue regnum sit, siue respublica, cuius ciues non ue-
nerint ad hunc bonae mentis mercatum retulerint
que inde ad suos cum gloriam regis sapientissimi, tum
perpetuo duraturam pietatem in supremum, quem
musae nostrae uenerantur, nutritorem. Cumque
nemini obscurum sit, ex Academiis iuuenes ad curi-
as & templa uocari & orbem his arbitris regi uniuer-
sum

sum: dici satis nequit, in quanto olim pretio ponendum, de illorum institutione bene meritum fuisse. Et quemadmodum omnes doctrinae nostrae post Deum & ueritatem hanc sibi metam propositam habent, ut iura, commoda, gloria REGIS adaugeantur: fieri non potest, ut uiri exuant, ad quod iuuenium animi quondam educti formatique fuerunt. Quod iterum negotiis, quibus regna inuicem ceu uinculo quodam continentur, ingens & immensum addere oportet momentum. Sed uulgaris haec nescit & utinam ille tantum parui auctus Fridericianae faceret neque is error illorum inuasisset animos, qui non ultimo prorsus loco sedent in republica. Meum uti non est, isti hominum generi surdam fabulam narrare: ita tamen nihil a munere meo, dum prorector essem, alienum credidi, si hanc urbem fortunarum, quas Fridericianae debeat, integra oratione, dicendi genere non sublimi, sed claro & facilis, commonerem & multis eidem argumentis inculcarem. Tuum nomen quare p[re]ferant hae tabulae meae, non meo iussu, sed studio & rogatione typographi in publicum emissae, nemo apud nos ignorare potest, nisi qui improbus esse uelit aut ingratus atque immemor prorsus officiorum tuorum, quae pro instaurazione huius sacrarii adhibuisti. Cui quae[m] ignotum est, quod consilii de condenda Fridericana primus auctor fueris adiutorque deinde praecipuus. Alii risu, alii indignatione, contemtu ali excepérunt

rationes tuas, tam augusto successu euentuque a principio cepti operis comprobatas. Literis, sermone, colloquiis, centies ea causa institutis, superasti tandem aliter sentientium calculos & TVO suffragio conciliauisti. Quod cum REGI semel adprobatum esset, quas operas quaeso! non impendisti? in conuocandis doctoribus; in salariis, unde hi uiuerent, a principe erogandis; in ordinando & exornando coetu nostro uniuerso. Qua in re nullis uigiliis, operis, innumeris laboribus nullis pepercisti, neque inuidorum hominum in aula ac urbe contraria studia, machinationes insidiasque, quibus Fridericianae natales uel opprimere uel successus rei impedire uoluerant, extimuisti; sed pro ingenii, quod habes, magnitudine & excellentia recto tramite & constanti ac imperterritu gressu propositum TIBI scopum attigisti atque ut in aliis negotiis, ita in hoc REGIS TVI gloriam regnique commodum procurasti. Post tantos labores, huius scholae causa exantlatos, qui uitio TIBI uertet, quod nuper ex TE audiui, cum in conuictu TVO essem, TE eam etiamnunc in sinu souere, doctorum fortunis gaudere, gratulari successus, frequentiam, celebritatem, cum non infima hic pars, quod agnoscamus, TIBI deberi uideatur. Vale & seram transige id est,
uirtutes TVA meritisque dignam senectutem.

Halae Venedorum d. VII. mensis

Ian. ccccvii.





Vod in primordio capesiti muneris
a supremo rerum largitore, Deo o-
ptimo maximo, inter uota cum ue-
stra, auditores, tum mea precatus
sum; ut nauis literariae huius reipu-
blicae, me clavum eius tenente, fal-
ua inter turbines & procellas; a syr-
tibus & scopulis libera; atque omni,
si per aeternum numen fieri posset, casu integra, in portu
collocari cedique ac demandari posset curae noui recto-
ris: id hodie, laetor, ex omni parte feliciter euenisse. Por-
tum, portum nautae clamant, etiam illi, qui prora & pup-
pi in aduerfa tempestate amissis, sola corpora sua in ter-
rae oris tuta deprehendunt. Quidni portum, portum re-
sonent accessus illorum, qui cum classe & remigibus, cum
naue & nauiculariis salui & incolumes ad litus appellunt.
Atque hoc idem illud est, quod eo nunc momento, quo
purpuram Academicam prospero ac felici rerum statu e-
xuo, consecutum me esse, animo meo deprehendo. Vi-
uit conditor noui regni & Fridericianae, cum principe fi-
lio, Porosici imperii felicissimo herede. Viuit princeps
regiae domus, quem ueneramini rectorem uestrum, uetu-
statis elogio magnificentissimum. Viuunt patres Acade-
miae omnes, etiam ille, coeli munere uiuit, ac reuirescit,
quem ante semestre tantum non moribundum conspexe-
ramus.

ramus. Viuis & tu flos iuuenum & lectissima corona. Vestræ uitæ, charissima pectora! quibus hanc cathedralam nunc circumseptam esse, uideo, non possum meminisse, sine ingentis beneficij diuini gratissima recordatione. Quot quaefo, uestrum annuo hoc spatio e rebus mortalium eruptos esse, iudicatis? Colligite o mei! rationes; coniecturis utimini & si haec uobis defuncti, sequimini calculos ueterum sapientium. Horum certe iudicio singulis annis pars hominum tricesima uitam ponit. Verum, gratiae Deo sint, quamuis uestra frequentia ultra duo millia & quingentos adsurget: ego tamen prorector non duorum funerum memini, quae extulisse. Bone Deus! quae maior gratia esse potest hortulano, quam haec, uix unam & alteram ex tot mille plantis exaruisse. Pudeat inuidos & maleuolos hostes, qui cum limpidos & innocuos doctrinae fontes hic videant, aërem, id est coelum ipsum incusant, corporis temperationi, si Diis placet, aduersum. Fateor olim plures uestrum obiisse, quam nostra & parentum uestrorum spes fuerat: uerum praematuri obitus non in climate quaerendi, quod idem uobis hoc anno fuit atque alias. Ab arbitrio prouidentis numinis uita pendet mortalium: etiam, quod iuuenes teneatis, a moribus uitiisque. Luxuria enim atque libidini Deum & naturam breuioris uitæ poenas statuisse, Ethnicorum etiam philosophiae constat. Vestro eapropter iudicio relinqu, quo demum casu factum sit, ut frequentiora ceteris funera apud nos patenterunt unigenae, id est, iuuenes fortunis plerumque tumidi atque ad libidinem expositi indulgentia parentum. Verum enim uero, eundem quamvis aërem habeatis, quem olim: afotorum tamen hominum casibus uestrros non parum correctos fuisse mores existimo. Non enim laudes praeteribo, quae, finito munere meo, uobis contribuenda sunt.

Quem-

Quemadmodum nulli quidem cœtus ita sacri & religiosi sunt, qui bonis malos admixtos esse, non querantur: hic in tanta rerum humanarum corruptione fieri non potest, quin optima quaeque respublica in sinu foueat ciues, morum prauitatem infectos. Quae minima parte hic urgetur eam integerrimam consalutamus. Nemo igitur id a me expectet, in tanto eorum numero, qui sapientiae cultores audiunt, singulos a probitate & industria commendare. Ut enim hoc inepti ac improbi adulatoris argumentum esset, ita, ueritate teste, hoc uos elogio dimitto: plerosque uestrum legibus morem gesisse ac bene ordinatae reipublicae partes in oculis animisque circumfuluisse. Nulli hoc anno tumultus, turbae nullae; quae uestania famam cum uestrae gentis, tum Fridericianae nostrae parum abest, quin apud exterros, superiori anno pessum dedisset. Homicidia nulla, ut constet demum nostris Germanis, quam bene sanguini consulatur humano, si digladiationes priuatorum publica lege coérceantur. Quod salutare Porusiae regis institutum Saxoniam quoque gentem nobilitatemque, pristini iuris & libertatis tenacissimam, ante bimestre spatiū publica sanctione accepisse, illud demum est, quod nouum primo in Germania conditori pretium superaddere uidetur. Neque satis fuit, poenae, ut uideri poterat, metu, a malo cauere, cum probitatis & industriae uestrae multa satis specimina non minus extare uideamus. Tument auditoribus templā nostra: collegia discentium spissa & numerosa sunt, publice priuatimque. Memini tantum non inter miracula Academica nonneminem illud retulisse, quod superiori semestri scholas pandectarum simul aperuerint habuerintque doctores tredecim. *Cathedrae* præterea omnes differentium certaminibus personant. Sudant prela operibus & lucubratiunculis nostris. Alius discenti-

A 3 um

um, alium industria studiorum excitat ac impellit, ut plerosque eodem fere cursu ad literarum profectus contendere uideamus. Tangunt haec instituta populos exteros, ut e remotissimis quibusque regnis ac prouinciis carissima pignora sua Fridericianae commendent. Quod si non aliunde atque per hanc audientium multitudinem, qua tot subfella occupata esse, conspicimus, ex mea certe matricula confare poterit posteritati. Qui enim, me prorectore, ciues inscripti sunt, septingentelimum numerum ingreduntur coque ipso omnes praeteritos annos a primordio Fridericianae aliquo post se spatio relinquunt. Fallunt hoc ipso uaticinia maleuolorum, Athenas nostras florum aetatem habituras, qui quo maturius fiant, eo citius intereat & floccescant. Emensi nos sumus, inimica capita, spatium duodecim annorum, quo ipso quaedam caeli imago incrementa nobis ulteriora promittit, cum solem, duodecimo sidere peracto, in reditu altius tolli atque spatia diem longius producere uideamus. Verum enim uero tandem etiam tuum est, Hala mea, excutere somnum de oculis; callum deponere; agnoscere coeli haec munera & iusto ea pretio uenerari. Nescire uideris, quam ex literis habes felicitatem aut praefentium beneficiorum aliquantum obliuisci. Patere igitur ut eruam & exquiram fortunas tuas, quae, Deo largitore, tibi tuisque ex Fridericiana obuenerunt. Vos agite, auditores, & dicenti auribus uestris animisque beneuole adeste.

Duo sunt, in quibus omnis mea uersabitur oratio. Unum, ut adstruam & exponam commoda, quae populo ac urbi hoc prytaneum conferunt: alterum, ut remouam ea, quae argumento nocitura esse uidebuntur. Deus adsit dicens!

Ita

Ita sunt plerique mortalium animi, ut rebus, quae in manus cadunt & oculos, plus fidei habeant & tantum non potiora statuant pretia prae illis, quae longa demum cogitatione sunt attingenda. Principio igitur thesauros, quos Halae Fridericianae recludit, in hoc statim genere mihi eruendos esse, censem, ut figuris aut coloribus nihil; nihil otiosis fragmentis & inani speciei datum esse, videatur. Dicitiarum uos admoneri uolo, quas accepistis per Fridericanam. Id quod non est difficile ad commonstrandum. Duo millia & quingentos iuuenes, studiorum causa in uestris moenibus agere, ipsis largiemi. Iam singulis horum, sine ullo discrimine, quod alii inter nimium & parum faciunt, impensas tribuite ducentorum imperialium, sunt enim aliqui, quibus mille non sufficiunt: atque annuam calculus hic summam habebit quinque tonnarum argenti, id est, quingentorum millium, quos dicimus loachimicorum. Parata haec pecunia est, quam ciuitati uestrae ex aquilone & euro gratae musae conflant impariunturque: quo ipso certe omnem Germaniam, si non pleramque etiam Europam tributariam habere uidenti. Sed causam forte ex ipso etiam effectu, quod dicitur, iuuabit cognouisse. Ita mecum per uicos uestrae urbis; intuemini aedes; dinumerate; ampliores a uerioribus se iungite, aut, si id fieri non potest, discernite inuicem. Sponsor sum creditorisque, duodecim abhinc annis, id est, ab Academiae natalibus conditas antiquioris aetatis omnes longissimo post se spatio amplitudine; structuae & contignationis arte numeroque relicturas esse. Ex eo enim tempore, quo fama noui sonoris sipientes Musas in uestram urbem traxit, in tanta adueniarum multitudine nullus fere mensis abiit, quo uel domus uestrae, uetus state confectae non instauratae sint; uel non surrexerint in desertis areis nouae. Praeterea in tanto noua-

nouarum aedium dicam, an uero nouorum etiam uicorum, numero tantum abest, ut pretia earum decreuerint, ut potius non semel atque iterum, sed terque quaterque aucta sint, cum merx a peregrinis conductoribus, nouis aduenis ciuibus nostris soluta, impensarum rationibus nunquam non respondere, uideatur. Omnis generis artifices & opifices numero metimini. Publica catastra loquentur, futores & fartoress, ut ex uilissimis duo genera postulem, decem nunc offendit, qui fila per pannos & coria in seram usque noctem ducant, ubi olim uix unum & alterum conspexeras, qui sellulis agglutinati essent. Mercatores audite, qui ante duodecim hos annos uictum & cultum nundinando quaesuerunt, e domesticis nunc mercatibus diuites fiunt, in tanto uestimentorum luxu, quo ciues, ad decus & elegantiam, urbi conciliandum, fascinatos esse querimur & experimur. Usuras, quas alii e nummorum permutatione, cambiis, pignorationibus, aliisque pecunia iuuenes emungendi remediis corradunt, indignas censeo commemoratione. Praeterea, si fisci publici arcana fas esset rimari, iuidentis etiam auctibus hoc genus redditum accreuiisse, manifestum est. Ante plures annos fama fuit, in rerum maxime fungibilium censu, quem accisarum nomine barbara aetas signauit, quotannis in sola Hallensi ciuitate, quindecim millium imperialibus accessus nouosaestimatos fuisse. Quid de fructibus dicam reddituum aliorum? Postas, rem cursoriam suo aevo Romani dixerunt, maxima e literarum commerciis lucra capere, quis unquam inficiabitur, cum illae e remotissimis quibusque regionibus & adferant epistolas & referant, aduehant nobis ciues reuehantque. Sed haec de illiberali quaestu sufficient, in gratiam tantum illorum dicta, qui animos gerunt mercenarios. Prudentiores sunt, qui oculos altius necum tollunt, in fructum ex A-

ex Academia profluentium enumeratione. Nihil detrahimus de pristina huius urbis celebritate. Largimur potius, magnam eius famam quoquis tempore fuisse. Sedes supremi per Germaniam antistitis, quem curiae dixerunt primum: concilia illorum, qui totam hanc prouinciam regunt: scabinatus iuris, quod per Bohemiae Poloniaeque regna patuit: salinae, quae magnam Germaniae, olim & Silesiae partem aluerunt, ceteraque eius generis sunt, quae loci dignitatem haud dubie queunt contueri. Verum dabitis quoque mihi illud, Fridericianae lumen tanto ciuitatem uestram splendore perfudisse, ut illa tantum non cum Academia hac nata esse, uideatur. Quid Graecis & Ital is: quid Hungar is & Transylvanis: quid Russis, Suec is, Danis aliisque populis septentrionalibus tiel per somnum accidere potuit, ut Halae uerbum in ore haberent. Gentes tamen hasce uniuersas Fridericianas augustissimo nomine suo percult suisque cepit amore, ut ex singulis his regionibus aduenas ad hoc bonae mentis sacrarium hodieque liceat connumerare. Quondam & ipsi extra moenia uestra mercati estis sapientiae thesauros, quos nunc in ciuitatis uestrae uisceribus souetis. Ingens sane hoc uobis beneficium esse, debet, quo filii in conspectu parentum, nullis fere impensarum oneribus ad supremos studiorum gradus proficere, queunt. Illi demum hanc felicitatem iusto pretio aestimabunt, quorum liberi deperditis proh! nummis, tempore, ualetudine, probitateque, ad patrios lares redeunt ab extraneis Academiis: cum domi contra ingruenti malo illi obicem mox ponere & medelam asserre, possint. Quid? quod etiam literarum cultus & puriores doctrinae in uulgum se quadantenus diffundere, uideantur. Mitiora enim mihi nunc iudicia a Krantio pollicerer, qui sua aetate Halensium gentem perdu-

perduellem, pronam ad otii & luxuriae quaevis genera
 dixit: cum industria, probitate, pacatisque moribus ani-
 mos plurium nunc imbutos esse, reperiamus. Dicam,
 quod res est, obstupescunt ipsi etiam hostes tui, Frideri-
 ciana, si tuorum instituta uident, quibus corrupti morta-
 lium animi ad poenitentiam probitatemque excitantur.
 Verum fatear, uir peregrinus eximiae dignitatis, sed a no-
 stratum dogmatibus admodum alienus, haud ita pridem
 per urbem hanc, uespertino forte tempore, iuit. Rediit
 ad me, sed animo prorsus commoto & ualde commutato.
 Proh! Deum inquit, e supurbio (Glauchensi) redeo: ne-
 que causas nunc miror, diuinac in Academiam uestram
 benignitatis. Vix ad tertiam quamque domum accessi,
 in qua uoces alias precantum; alias laudantium concen-
 tibus Deum non offendii: imo campos & agros diuinis
 hymnis audiui, personare. Sit multos simulators esse,
 & turpissimos hypocritas. Sodomam decem pii ab inte-
 ritu, incendioque seruassent. Quis Hala tibi, hoc rerum
 statu, adferet pericula? O si manes quorundam Halensi-
 um, quos olim luxus & otium perdiderunt, ex orco in
 hanc lucem redirent; quae uos alloquia ab ipsis expecta-
 retis. Felicitatem in hoc in primis genere uobis inuide-
 rent aut coelum forte ipsum incusarent, quod ipsos in
 haec tempora non seruasset. Vestrum est, o ciues, pro-
 ficere ex tanto adparatu ad colendam pietatem: ne poe-
 narum uobis grauitatem augeant dogmata diuiniora, tan-
 tis curis ad taedia usque uobis propofita. Unum forte
 praeterire non debo, ingens etiam ad pretia, Fridericia-
 nae concilianda, momentum. Hominum Christianorum
 haec fides est, plurimum ad fortunas rerum etiam huma-
 narum posse preces fidelium, coram Deo pro aliorum sa-
 lute conceptas. Videor autem mibi, ueluti in imagine
quadam

quadam intueri, mille mille parentes, qui supplicationibus quotidianis, imo lachrimis suspiriisque a Deo contendunt, ut, filiorum causa, quos nutrimus, a nostra civitate mala omnia, famem, pestem, bella, incendiaque aueruncet. Sensistis in urbe ciues, paucis abhinc lustris omnia genera haec publicarum calamitatum. Ignis rabidem buifa incusarunt, quae antequam Academia condetur, urbis uestrae faciem in pluribus locis deformarunt. Pestilentia eodem fere tempore intra muros uestros tantum uehementia est graffata, ut parum abesset, quin urbs uestra in Aethiopiae deserta conuerteretur. Sed a Fridericianae primordio ab utroque malo contutam te uoluit prouidum numen. Quid illud? Non poenitet, precibus, uotis, suspiriisque paternis ultimam fortunarum tuarum consecravisse. Restaret, auditores alteram etiam orationis partem aggredi, atque illa remouere, quae fortunis Halensium, Fridericianae assertis, obiici queant: sed nolo, in tanto aliorum solennium numero, uestra patientia abiuti, cum eam mihi de uobis pollicear pietatem, applaudere illis, quae non sine ratione exposita sunt, ac tanta potius bona iusto prosequi cultu uenerationis. Ne tamen uel hostes nullos in hac arena habere uel tela aduersa extimescere uidear: ex cipiam illa summatimque respondebo ad ea, quae obiici solent hactenus enumeratis fortunis. Primum est, in quo subrostrani omne querelarum robur putant esse reponendum. Scilicet annonae caritatem illi incusant, quam attulerit urbi Frideriana. Halam, inquiunt, promam condam fuisse largissimam uincinis regionibus, atque ex omnium rerum abundantia factum, ut uiliori hic pretio constiterit uictus, quam in alia nulla urbe per Saxoniam Thuringiamque uniuersam. Modium frumenti quondam octo grossis emtum esse, qui

nunc ioachimico ueneat & amplius. In uulgi quondam sermonem iussisse, asinum quoque Halae inter tofas; id est uilissimae cuiusuis mortalium sorti, etiam hominibus, tantū consumere natis bene hic esse. Hoc emblema templorum parietibus insculptum hodienum reperiri, ut ex sacro loco quilibet dicterii ueritatem aestimet reuereaturque. Fatoe, plura hic esse, quibus debeat a me satisfieri. Principio emblematis arcana rimari nolo, ne Sibyllini folii secreta contra rem publicam uidear prodidisse. Mallem tamen ego regionem a gente laudari, quam regionis laude indigere gentes. Regionis egestatem cotem ingenitorum dixit uetus. Consultius forte esset, remouere a sacris ualuis emblemata, indignum conspectu, re ipsa sordidum & ualde ambiguum diuinando. Deinde illa oeconomorum iudicia admodum peruersa, quae felicitatem prouinciae aestimant ex annonae uilitate. Quid enim de Angliae ac Belgii regionibus dicemus? ubi res, alibi uilissimae, non contempnenda pretia habent. Causae, quod maioris ibi fiant, in multitudine ingenti incolarum; in copia aeris ac nummorum; in commerciorum celebritate facile reperiuntur. Sed quis est, qui frequentiam incolarum; abundantiam aeris; florentem mercatum in reipublicae posuerit infortunio? Penuria rerum, non caritas mortalibus adfert calamitatem. Non Halae tantum, sed in eius quoque uicinia foecundissimum est solum; quod magna cum ubertate profert, quae ad uictum & cultum necessaria sunt. His consumendis cum incolae haudquaquam sufficientant, non fieri potest, quin uel copia rerum pretia earum minuat uel ad extraneos illae non sine impendio ac onere exportentur. Inde quoties aliqua impeditio, quam hoc tempore querimur, illico desideria ac deplorations audiuntur, uix operaे pretium esse, agros colere, ob annonae uilita-

uitatem. Summa itaque querelarum uestrarum est capita malefieriata, quod ciues Academicci res uestras maiori, ac olim factum fuerat, pretio redimant: quod ex uno frumenti modio nunc tantum lucremini, quantum olim ex duobus: quod nunc maiori commodo Academicis ciibus id domi uendatis, quam foris olim hominibus extraneis. Atque hoc demum est, in temporum felicitate fortunas accufare; animi obtusi iudicia ferre; oculis glaucoma obducere; in sole nubes quaerere; caecutire in meridie & diuinae largitionis inuidia laborare. Rusticos, infimum, sed id hominum genus, unde diuitiae in reliquos mortales se diffundunt: hos inquam fortunae ex Fridericiana uobis doctores commendo. His caritate rerum tantopere consultum est, ut qui olim uix operaे pretium habuerant plures agros colere, quam qui satis essent illis ad uictum & cultum, nunc alios magna mercede conducant, coemantque alios atque his pretia statuant ter & amplius maiora illis, quae habuerant iugera in his regionibus aeuo Fridericiana antiquiori. Ex agricolarum fortunis facile nunc est ad intelligendum, unde augmenta, quae uidemus, sumpferint quoque ciuium diuitiae; cum satis manifestum sit, in hac ditione urbes succum & sanguinem e pagis trahere atque hinc se illuc demum diffundere ac dilatare. Verum urgent nos subrostrani cum illis tamen malefieri, qui neque agros neque aedes habeant, operas nefcient, quas possent locare, uerum ex usuris tantum nummorum uiuant aut ex redditibus salinariis, quod nemini ignotum sit, hoc genus acquirendi uel nihil mutatum esse, uel ea tamen incrementa non cepisse, quae respondere queant nouissimo pretio annonae. His ego auctor sim, ut sortem suam miserrimam esse, agnoscant, deplorentque. Ita enim spes est, fore, ut animos eorum

cupidus inuidat atque indigno illi otio relicto discussaque
 sordidie artes quaerant, sibi ac reipublicae utiles. Quibus
 uero uoluppe est, retinere animos desidia & torpore infes-
 etos: qui inter pretia melioris uitae habent, in ocio late-
 re, auitis bonis frui &, quod uulgi apud nos sermone di-
 citur, ex somno diuturno rei familiaris compendia quaer-
 rere: illis neque ego habeo, unde consulam, neque bene
 ordinata res publica, cuius potius interest, ut famem illi
 sentiant atque poenas luant, ignaua uita dignissimas. De-
 inde alterum est, quod opponi solet fortunis Halensium
 e Fridericiana: Academiam non tam Magdeburgicas di-
 tiones locupletare, quam confinia Saxoniae, Misniae, Thu-
 ringiaeque, unde nostris accedant res ad cultum & uictum
 necessariae. Fateor, olim ea causa deliberatum fuisse,
 annon praestet Fridericianam transferri Magdeburgum,
 in huius prouinciae metropolin & fere meditullium. Vicere
 tamen dissidentium suffragia, ut sacrarium hoc Halae
 conditum atque in tanto flore constitutum, ibi quoque
 perduraret persisteretque. Ut enim taceam, quod omnis
 mutatio pericula habeat, quibus nemo prudens facile sub-
 iecerit florem, frequentiam dignitatemque huius prytanei,
 ut, quod hic manibus tenemus, alibi sperandum esse, uide-
 atur, idque dubia aliquantum alea, cum non pauci inter
 sapientes reperiantur, qui in ipsis quoque nominibus cau-
 fas quaerant accessionum ac decrementorum. Praeterea
 inuidere uicinis commoda, impium est, inconfulto au-
 tem neque alia, quam lucri causa illa subuertere uelle,
 prorsus inhumanum. Est Deus, qui res mortalium suo
 arbitrio continet moderaturque idque reconditis prorsus
 rationibus, quae, cum nulli mortalium pateant, tutius
 est & religiosum magis, successus rerum expetere & expe-
 stare, quam datos, plus habendi cupidine, aliorum fle-
 ctere

ctere & temerario ausu, quod fieri sic potest, nauigare aduersus torrentem. Post, si quid fas est, diuinando adsequi, non sine consilio diuino factum esse, existimo, Fridericianam, nouam hanc ueritatis nuntiam in confiniis enata m esse, ut quosque uicinorum animos eo citius percellet & rectiora inde dogmata innotescerent populis remotissimis. Quod eo facilius ad credendum est, quo maiori fructu breui tempore nostra dogmata iuere per Europam uniuersam. Taceo iuuenes, quos ex omnibus regnis ac rebus publicis ad literas & uirtutem eduximus & in hac bonae mentis officina adhucdum enutrimus. Libellos nostros populi, qui eos olim, cum rerum ignari essent, proscipserant, tolerant nunc, ut iuuentuti instruendae commendentur ac praelegantur atque, scribo, quod res est, in curiis & templis dogmata nostra personare, alicubi & regnare uideantur. De Germania certe nostrae doctrinae coniurati hostes conqueruntur: nullam eius Academiam reperiri, in quam uirus suum, ita miseri mortales integræ mentis medicinam adpellant, non insperserit ac disseminauerit Halense prytaneum. Atque id demum esse existimo, quare in confinio, id est, in oculis uicinorum nostrorum, diuino quodam consilio, erigi ac instrui debuerat Fridericana. Antiquiorum uero Academiarum uicinitas tantum abest, ut nostræ iacturam intulerit, ut potius, me auctore, ad frequentiam nostram non leve attulerit momentum. Innumeri enim, quos maleuolorum indicia infecerant, ut a Fridericana ualde abhorrerent, cum nouitatis tantum causa e uicinis Academiis ad nos excurrenter, industria docentium ac dogmatum rectitudine capti, cursum bonarum artium apud nos ingressi sunt, quem breui tempore ex uoto consecere. Evidem in his aliqui fuerunt, qui, cum uiderent fieri non posse, ut uolun-



uoluntate parentum & curatorum apud nos agerent, uicinarum Academiarum aliquam in litteris ad suos simularunt, ut nostris sacris absque interpellatione interessent. Nonnunquam ipsi parentes conniuere maluerunt, quam aperte consentiendo, sacros antistites aliosque offendere, quibus uel in odio uel aemulatione fueramus. Hoc rerum statu pudet pigetque minutiarum, quas alii produnt contra superius expositas fortunas ex Fridericana. Scilicet publica aedificia, quae ciuitatis sint, a doctoribus Academicis occupata esse cum iniuria ciuium, qui ibi epulas, symphonias, commessationes adornauerint, dignissimo adparatu. Bone Deus! Hominum Christianorum odia mereri debet, cauponas delirantium in templo conuerti sapientum, quadam temporum felicitate. Melioris ordinis ciues incorrupti nobis testes sunt, spumantia pocula, lasciuos cantus, choreas & tripudia in seram usque noctem producta nihil moderati conuiuis ac contubernialibus fuisse. Diuini ergo numinis gratiae dabitis, occiues, quod bonae nunc artes regnent, ubi animi iuuentutis uestrae ad libidinem, desidiam, uitamque asotam seniorum exemplis instruicti deformatiq; sunt. Sed tamen gratis occupatum esse, quod nummis redimendum fuerat, reponitis. Ego uero aequos rerum aestimatores uos esse, iubeo. Agite mecum, aestimate conclavia commissatoribus erupta & quot ciues uobis dederit, quot aedes urbi uestrae extruxerit Fridericana, in memoriam uobis reuocate. Quod si recti iudicij lance expenderitis utrumque, agnoscatis mecum, templa ipsa uenalia fore, si tanta largitate ac fructu pretium refundatur. O si quod uobis nullo labore constigit, aliis ciuitatibus, obueniret, parum forte illis eset, recipere Musas, quin potius noua illis domicilia struerent consecrarentque. Aliae Musas inuitant desiderantque uestra

uestra illae moenia ingressae sunt, antequam uocarentur.
 Quas aliae magna plausu exoptant; illae in pretio ponunt,
 a uobis non despici aut aequo camen animo tolerari. Ne-
 que maius pondus illud habet, si querelas iaciatis in iu-
 risdictionem, quam, REGE largitore, a uobis accepimus
 diuersam. Fallunt uos, qui musarum uniuersitates colle-
 gia definiunt docentium & discentium. Nugas uobis uen-
 dunt, qui his limitibus auctoritatem describunt in cultio-
 ri orbe uniuersi nobis aenestratibus tributam. Laedunt,
 diuinam Caesaris ac principis nostri maiestatem, qui adeo
 indigne de nostra gente loquuntur. Alios mores nostri
 coetus postulant, quam uulgares scholae, sub clientela
 uestra agentes. Ab his desuferi oportet linguas & cala-
 mos uestros, nisi, quod uel ignauit est uel maleuoli, supre-
 ma fastigia cum insimo gradu, inepta commixtione, con-
 fundere atque opprobrio rectius fentientium uos expo-
 nere uelitis. Tyrones uobis aures uellicabunt in illis, quae
 de priuilegiis Academiarum iustitiae sacerdotes prodidere.
 Utinam iurisdicundi potestas in manibus tantum illorum
 esset, qui diuina humanaque iura quotidie tractant, do-
 centque. Nontot, credite, in Germanis querelae essent
 de iustitia misere conculcata & prostituta. Artifices ta-
 men inquiunt & operarios nostros auctoritate urbani se-
 natus eximi, id demum ualde peregrinum esse. Quis uero
 unquam ciuem subduxit, albo uestro inscriptum. Adue-
 nae sunt, quos habemus, qui urbem non uestri; sed no-
 stri causa solent incolere. Hoc, ne quis primo intuitu ex-
 istimet, uobis damnosum esse & subtrahi uobis, quod nobis
 accedit: tabulas quaeso consulite, quae circum uestrorum
 nomina exhibent, numerum, qui uobis nunc est, cum illo
 computate, in quo fueratis olim ante conditam Friderici-
 anam! Sponsor uobis sum, ualde inaequalem, terque qua-

C

terqu

terq; maiorem haec tempora, fortunas hasce ex Fridericiana uobis tulisse. Quare neque hic causae uobis sunt, priuilegiis moerere a sapientissimo conditore coetu nostro concessis. Et quod in gente, Rheno olim uicina, inque Gallicis, patria sua sacrorum causa extorribus, aequo animo fertis, utriusque enim proprium ac peculiare forum, iura, ciues: cur in nostro quaeso ordine inuidis id oculis intuemini, de tot in uestram urbem commodis ac fortunis commendato? Sunt tandem, qui in pretio habent, a uulgo & plebe coli sapientes, probos, rerumque potentes. Huic auctoritati, inquiunt, in ciuibus uestris ex eo tempore plurimum decessisse, quo uigeat in moenibus uestris Fridericiana. Leue hoc est & stultissimae ambitionis specimen, inter ignaros caput erigere uelle & mortalium animos fascinare coeca superstitione, quam nubem apud nos bonas literas dispulisse, tantum abest, ut doleamus, ut potius inter fortunas ex Fridericiana non infimo loco id referri mereatur. Demum etiam cum illis agendum est, qui sincere nobiscum agunt, deposito partium studio. Unum illi esse aiunt, quod secum quidem omnes trahant, maxime autem sentiant frequentiores Academiae. Illud uero quid est? Difficillimum esse disputatu, inde augurabimini, quod in ultimum locum id reiectum sit; quasi satius esse uideatur, silentio inuoluere ac praeterire, quam parum feliciter eidem respondere. Peccata sunt, triste uerbum, quam sentinam secum uehere, queruntur, nauem reipublicae literariae. Iuuenes enim, aiunt, e parentum aut curatorum potestate iamnunc emancipatos libertate ad licentiam abuti, indomitis & effrenatis moribus uiuere, &, cum aliae regiones alia scelera foueant, diuersos diuersa in hunc locum exonerare, pestilentissimo hoc uiro mores inficere animosque ciuitatis, &, qui euentus, tristissimi

tristissimi mali sit, reipublicae poenas iramque diuinam provocare. Hanc calamitatem esse, humanis fortunis tanto maiorem, quanto indignius sit, animae corpus, humana aeternis preferre aut eodem utrumque censu habere. O iuuenes! mallem uobis hanc arenam cedere, quam in hoc argumento uestram causam agere mea, quod adhuc feci, oratione. Dolere hic faciem rerum satius est, quam tueri eandem, excusare aut alia ratione declinare uelle. Riderent amentiam meam aut turpem afflitationem exprobrarent, quorum oculis obuersantur facinora eorum, qui in oribus uiuunt peruersissimis. Lenire tamen, si fas est, conabor dolorem illum, quem urbi huic metuunt ciues, probitatis studiosi. Principio gratiae diuini numinis dandum, quod huic malo, quantum in principe, quantum in nobis est, allata sit adhibeturque quotidie medicina: ut, si non extingui ex omnium animis queat, efficiatur tamen hoc, ne latius ferpat grasseturque. Sunt nobis leges, quae bonis praemia, malis poenas statuunt, transgressoribus temerariis gratissimas. Neque tantum sermone uos docemus, uerum exemplis quoque maxime illorum, qui uitam suam uestri causa, in rebus, nulla quamvis lege uetus, componunt ad seueritatem, graui doctore dignam. Nonnulli etiam liberalius uobiscum agunt, ut ingenuam uitam ab immoderata & licentiori mature internoscatis. Ex utroque plures & Deo gratiae fint, innumeri uestrum ad uirtutem profecerunt in Fridericana, ad quam cum principio accessissent, animos habuerant corruptissimos. Deinde absit, ut Halensium mores in peius iuerint a natalibus Fridericanae. Melior potius laetiorque ex hoc tempore uerae probitatis facies est, supra uobis meo sermone ea ratione descripta, ut nihil dubitauerim, Fridericanae aetatem in hoc argumento seculis prioribus anteferre idque longissimis interuallis. Post

aliis limitibus mortalium iurisdictio continetur, aliis iterum
 Dei praepotentis. Illa locum delicti respicit, non haec,
 quae suos tenet auctores. Absit enim, iustissimum nu-
 men in inquilinos animaduertere ob scelera peregrino-
 rum. Est tamen nostrum, quod officium homines Chris-
 tianos tenet, ut animos & corpora ab aduenarum uitiis ac
 facinoribus illibato circumferamus tuemurque. Hoc qui
 fecerint, salui erunt & incolumes inter mille pericula, qui
 improbos cingere solent & circumsepire. Obsfirmate ita-
 que pectora uestra aduersus illecebras corruptelarum per-
 uerae iuuentutis. Clypeum ueritatis sacra uobis pagina
 prodit producitque. Hunc arripite, state fidenter, non
 fiet, ut in arena ullo tempore succumbatis. Vestrum ue-
 ro est, o iuuenes! ea uos mente in hoc bonae mentis fa-
 crarium conferre, ut exuatis hic scelera, si quae penates ue-
 stri secum trahunt; desuefacere animos a patriae corrupte-
 lis, uirtutem sequi, custodire instituta paternarum uirtu-
 tum; ad artes & sapientiam, quos mores haec uita, hic
 locus exigit, proficere & recto contendere concursu, ut
 non solum aetate prouectiores, sed etiam bonis artibus,
 doctrinis, uirtute, sapientia magis referti ad patrios lares
 redearis. Delebitis ita maculam, per facinora improbo-
 rum ordini uestro allatam & caufam hanc, quam uerbis
 hic agere ausus sum, re ipsa & felicius oratione mea tuebimi.

Tibi uero aeternum ac praepotens numen, cuius arbi-
 trio ac sapientissimo moderamine rerum omnium & au-
 spicia sunt & prosperi successus, tibi inquam & tuae be-
 nignitati integra mente deuouet, me interprete, Frideri-
 ciana, quicquid in eam per duodecim hos annos uberrime
 contulisti. Incrementa, successus, famam, fortunasque
 nostris non uiribus aut industriae tribuimus: sed tuae in
 nos gratissimae uoluntati. Noli, alme conditor, Frideri-
 cianam,

cianam, prolem tuam bonis in posterum destituere, quod fortunas forte suas non agnouerit semper neque debitas tibi gratias retulerit, fonti atque origini earum. Non patere Deus, ut plurium ingratitudo lumen extinguat, quo musas nostras es dignatus. Respice Deus preces nostras; respice illas preces & lachrymas, quas tenerae matres pro huius ciuitatis flore atque incolumentate, in gratiam suorum ex infimo pectore profundunt, &, si haec non sufficiunt, respice illum, per quem nobis benignus esse aeternum non desistes. Te, post Deum immortalem, adpellamus REX noster, conditor Fridericianae nutritorque. Nihil tu, per omne imperium tuum, nisi auspicato incepisti. Fridericianae incrementa tuis non minus fortunis debemus, quibus nullis non temporibus Deum tibi adfuisse, etiam hostes, si quos uirtus habere meretur, confitebuntur. Vnde diu & fruere rebus, a te sapienter institutis. Addat Deus temporum tuorum felicitati, ut ex filii heredis tui atque unigenae uotis nuptialibus, Guelphicae principi numeri factis, mox auus audias atque in eo etiam magni parentis tui fortunas superes & anteuertas. A regni herede proximum locum tenes serenissime princeps, frater Regis & Fridericianae rector magnificentissime. Est uique, ut submississima mente agnoscamus tuam in musas nostras promptissimam uoluntatem: qua fasces nostros, tibi a Rege delatos suscepisti. Habemus hoc gaudium tecum commune, quod, te regente, tantos auctus sumplerint res nostra, ut primas in numero ciuium, quo hic annus aliis omnibus cumulatione fuit, tui regiminis auspicio deberi uideamur. Vobis, patres conscripti, collegae honoratissimi, in primis me deuinctissimum sentio, quod ad clauum sedenti consilia suggestere, euitare atque auertere scopulos purpuramque uestra auctoritate con-

tueri & grauioribus negotiis occupatum adiuuare nullo tempore intermisisti. Viuite diu superstites inter mortales: uiuite Academiae uestrisque atque similia, quantum fieri potest, a me officia iterum expectate. Tandem ad uos me conuerto, lectissimi iuuenes, comes illuistrissime, perillustres generosissimi ceterique uirtutum aut natalium dignitate nobilissimi. Vos ultimo compello, quos principio meae orationis salutaui. Diuersi forte de rationibus muneris mei uobis sensus sunt. Acre, regimen illi dicent, quibus molestum me esse oportuit poenarum grauitate. Sed quaeso! leges, si fas est, incusat, non illos, qui quod sanctum est, administrant exequunturque. Cum paucissimis &, ex his mille iuuenibus, cum uno tantum & altero mihi res est, quod ex tanto ciuium numero uix decem illorum meminerim, qui poenas aliquas delictis suis prouocassent. Ceteri laudibus, principio commemoratis dignissimi sunt, ut neque earum in fine poenitere, queat. Pari &, si uota quid possunt, maiori obsequio successorem in hoc munere fuscipite, & de prospero consulatus sui exitu Deo; principi; sibi; uobisque gratulabitur.

Fateor autem, uir experientissime, inter argumenta proreectoratus, feliciter atque ex animi sententia de manibus meis deponendi, illud etiam non infimum esse, quod auctoritate Regis suffragiisque patrum Academiae factum sit, te ardui muneris successorem nancisci, a longo iam tempore de rebus meis bene meritum fauorem & collegam amicissimum. Pollicebimini uobis auditores optimum de tanto uiro consulatum. Cum enim in quadam ingeniorum republica rectoris munus constitutum sit: multum ituabit, illum fasces gerere, cui temperamentorum rationes, quae in iuuentute suas in primis vires exterrunt,

erunt, ex arte salutari intelliguntur, ut, quid casu, quid culpa, quid dolo peccetur, internoscere & mox intendere irerumque remittere poenas queat. Accedit, quod prorectoratu inaugurandus collega, non in scholae tantum umbris uersatus sit; sed etiam in luce aularum inter principes & primariae dignitatis uiros, ne regimen eius scholastica secuntaedia ferre uideatur. Age igitur collega honoratissime, atque de suscipiendo munere, quod Deus & Princeps tibi largiuntur, sententiam tuam publice declara.

Aduocatio in cathedralm.

Accepistis, auditores, sententiam futuri prorectoris' de hac prouincia suscipienda. Quemadmodum uero sapientissimus huius prytanei conditor sua huic aetui sacra ceremoniarum definiuit: ita in cathedralm hanc ad me accersendus es, uir nobilissime, ut omnia tibi rite & ordine deferantur.

Delatio muneris.

Quod ergo felix faustum fortunatumque atque Fridericianaे prosperum ac salutare sit, ego adhuc prorector mandato & auctoritate potentissimi Regis Porussiae, rectore magnificentissimo, principe regiae domus, Philippo Wilhelmo, tibi Friderico Hoffmanno, consiliario atque archiatro regio; medicinae ac physices professori, prorectoratum Academiae, cum omnibus iuribus, commodis priuilegiisque defero, in nomine Dei Patris, Filii & Spiritus Sancti.

Symbola muneris.

Jam symbola inaugurationi tuae addo, in legibus Academiae huius singulari instituto designata.

PALLIVM.

Pallio primum, grauissimo onere humeros meos subleuo: atque hoc onero tuos. Det Deus, ut leue onus sit, quod maximum esse, omnes collegae experimur. Aurum & purpura eius rei te admoneant, ne in munere te contemni patiare, sed tuam omni ratione tuearis auctoritatem.

MITRA.

Mitra caput tuum orno, ut intelligent ciues ac patres, te caput

put Academiae constitutum esse, cui fas sit, ut membra omnia
obsequantur.

SCEPTRA.

Sceptra de manibus meis accipe, futuri regiminis tui digna sustentacula. Numerus sceptrorum binarius est, diuina humanaque iura significat, in Academiis docenda ac defendenda. Quod utrumque quatione fiat, tuis nunc uigiliis est commendatum.

MATRICVLA.

Album tibi trado, cui nomina ciuium tuae jurisdictionis inscripta habes. Augeat Deus numeros ut futuri quique anni praeteritos superent, ueniantque Fridericianae noua semper incrementa.

STATVTA.

Codex statutorum, quem offero, sacer tibi sit, priuilegiorum legumque Academicarum custos integerrimus. Ab hoc latum unguem discedere, tibi religio sit; machinationibus parum curatis, quas intendere solent animi, partium studiis plurimum corrupti.

SIGILLA.

Sigillum tibi praebeo, auctoritatis ac plena fidei instrumentum. Quod cum sacratissimi Principis imaginem referat, sacrum nobis horrorem incutit, ne perueriae aut praecepsitatae scripturae id temere imprimamus.

CLAVES.

Claves claudentem unam, alterum recludentem, barbara aetas soluentem & ligantem dixit, has claves inquam postremo curae tuae committo atque hoc ipso ad recondita quaeque aditum facio & rerum singularum curam fidei tuae probitatiue commendo.

VOTVM.

Salve itaque post inaugurationem noue prorector, iterum ac tercia uice salve atque rebus hisce fortunisque tuis hoc anno feliciter utere. HABES a benignissimo numine gratiam hanc, quod primus altera uice magnifico prorectoris nomine uenias Fridericianae. Orbis enim noster duodecim consulatibus Academicis circumactus, te auspice, nouum iterum initium sumit. Largiatur Deus tibi aliisque omnibus, qui in hoc munere sequentur, prosperos successus atque fortunis Fridericianae, hac oratione delcriptis, perpetua statuat incrementa.

Ng 3019 E


ULB Halle
006 529 542

3



K. Zigan
Buchbinderei





Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



RTVNAE LENSIVM EX ERICIANA.

usces Academiae,

a commutatione,

nibus suis deponeret,

dixit

DIRECTOR,

dine duodecimus,

ETR. Ludewig / Jct.

CCCLXXVI.

HALAE

ANDREAE ZEITLERI, Acad. Typogr.